



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CLIV. Argumentum. Præsens Decisio manifestat, Quid sit Judisium Temerarium? Quanta ejus Igravitas, & malitia? & quibus remediis, seu rationibus abviandum sit illi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

64. *Vigesimoquarto*. Denuncient Parochi Patribus familias, ac Matribus detrimenta honoris, inimicitias, homicidia, ac alia mala, quæ quotidie habentur in praxi, ob conversationem Filiorum cum viris. Ideo tollant omnino hunc abusum, non concedant filiabus hanc libertatem, Siant esse peiores Turcis, & Mahometanis, à quibus tanto studio custodiuntur foemellæ, ut nulli hominum liceat ad eas colloquendas accedere. Idem servant Ethnici, ac Pagani in Indiis Orientalibus. Considerent genitores Verba Apostoli obtestantis, quod: *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. Timor. 5. 8. Qui negat fidem, salvari non potest: Igitur neque salvabitur, qui filiorum, & filiarum suarum curam non habuerit. S. Joannes Chrysostomus: *Magnum habemus depositum, filios; ingenti illos servemus cura.* Hom. 9. in 1. ad Tim. Non attendatur pessima hæc consuetudo; quia exemplum aliorum non salvabit, neque excusabit in tremendo judicio. *Quid nobis proderit in illo Dei judicio multitudo, ubi singuli judicabuntur?* ait S. Eucherius de *Contemptu Mund.* Ecce dicebat Apostolus, & dicant Parochi: *Denuntiamus vobis in Nomine Domini JESU CHRISTI, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate* 2. Thess. 3. 6.

D E C I S I O CLIV.

A R G U M E N T U M.

Præsens Decisio manifestat, Quid sit Judicium Temerarium? Quanta ejus gravitas, & malitia? & Quibus remediis, seu rationibus obviandum sit illi?

S U M M A R I U M.

1. Judicium temerarium quid sit?
2. Judicii temerarii gradus tres.
3. Quando sit peccatum mortale?
4. Judicium temerarium est peccatum contra justitiam.
5. Præceptum prohibens temerè judicare.
6. Superiores non peccant suspiciendo de malo ex levibus indicis.
7. Judicium temerarium in intellectu non est peccatum.
8. Requisita tria ad judicandum.
9. Par in parem non habet imperium.
10. Scientia necessaria ad judicandum.
11. Totila judicium temerarium.
12. Cor hominis inservabile.
13. Pharisei temerarium judicium.
14. Judicandus nullus sine probationibus.
15. Judicare spectat ad Christum Dominum.
16. Judicia temeraria plurimum ex Sacra Scriptura.
17. S. Vitalii Abbatis zelus convertendi Meretrices.
18. Lopezii Mendoza punitio ob temerarium Judicium.
19. Theologi curiosus casus in itinere cum Oratore Venero.
20. Cajetani Cardinalis statuta, & aspectus deformis; Item Ducis Achaorum.
21. Judiciorum temerariorum infelix exitus.
22. Mulier temerè judicans peperit in pœnam filios 12.
23. S. Ignatii Lojola sapiens dictum, nè temerè judicemus alios.
24. Quilibet suos consideret defectus.
25. Temerè judicantes à Deo puniuntur.

26. Velsarii militis temerè judicantis punitio divina.

27. S. Rodesindus Episcopus resuscitat duos ob judicium temerarium à Deo morte percussos.

Dixere: Judicium temerarium esse actum intellectus, quo quis aliquid de altero non solum dubitat, & suspicatur, sed etiam desinit, & statuit absque sufficienti probatione. Quapropter tres sunt gradus Judicii temerarii, Dubitatio, Suspicio, & Desinitio; de quibus optima est similitudo Statera, seu trutinæ: hæc aliquando stat independens, & ut dicitur in bilico, ad neutram partem inclinans; talisque est dubitatio. Vel aliquantulum pendet in unam partem; & ecce Suspicio; vel præcipitat omnino; ecce Desinitio, & Judicium temerarium completum. Igitur dubitare de peccato alicujus, absque legitimis fundamentis, est primus gradus, in quo neutri parti adhæremus, sed suspendimus assensum. Suspiciari, inesse malum, cum aliquo debili assensu, sed cum formidine oppositi, est secundus gradus. Judicare opus malum cum pleno assensu, & firma animi sententia, est tertius gradus. Mastrius in Theolog. Moral. disp. 8. num. 49. Layman libr. 3. tract. 3. part. 2. cap. 2. num. 1, & Azor. rom. 3. libr. 3. capit. 11. dub. 2. & 2. Dicitur autem temerarium ex defectu sufficientis probationis; quia ubi habentur probationes concludentes, aliquem commisisse aliquod peccatum; in hoc casu judicium non est temerarium: quod si nulla sit probatio, sed judicium procedat ex levibus indicis, peccatum erit mortale. S. Thom. 2. 2. qu. 60. art. 2. nisi excusetur à levitate mali, de quo proximus condemnatur; vel nisi excuset non plenus assensus, itaut se contineat vel in sola dubitatione, vel in sola suspitione. Mastrius, Layman, & Azorius supra.

Gravitas hujus peccati, & malitia Judicii temerarii ex eo resultat, quod est actus contra Justitiam, lædens bonam famam proximi; cum enim tria sint proximi bona, quibus absque justa causa nemo potest privari, Vita, bona Fama, & Divitia; qui judicium temerarium facit de proximo suo, quod aliquod peccatum commiserit, peccat contra Justitiam, auferendo intra se bonam famam, bonum nomen, & bonam opinionem ab ipso proximo; quemadmodum quis peccat deliberando intra se, velle occidere proximum, vel ejus divitias furari. Mastrius, Layman, & Azor. ubi supra, qui advertunt, sic judicantem teneri ad retractandum ipsum judicium intra se; & ad illud deponendum, quia dubia in meliorem partem sunt interpretanda. S. August. libr. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 18. & Glossa ad Rom. capit. 14. & quia habemus expressum Præceptum: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Matth. 7. & Luc. 6. & S. Jacob capit. 1. *Nolite detrabere alterutrum fratres. Qui detrabit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrabit legi, & judicat legem: idest deficit à lege, & judicio illius proprium judicium antepont.* S. Thomas 2. 2. quæstion. 61. artic. 3. Molina de Just. & Jur. tract. 2. disput. 15. Duo tamen sunt notanda. Unum quod ex levibus indicis non peccat, si suspicetur malum ille, cui ex officio incumbit, ut Prælato, Patri, Matrique familias malis obviare; dummodo prudenter se gerant, in remediis applicandis, absque læsione bonæ famæ illius, de quo suspicantur. Molina tract. 4. disp. 14. Layman dist. lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 2. num. 4. *Verum amen.* Alit.

- Alterum*, quod non sufficit, temerarium iudicium volutari in intellectu, ad hoc ut sit mortale; sed requiritur assensus voluntatis, quæ si se retrahat, cum displicentia illarum cogitationum, vel suspicionum contra proximum, in nihilo peccabit; vel tantummodo venialiter, si negligens sit in se retrahendo vel imperfectum præbeat assensum; prout in cogitationibus venereis, vel de alia re turpi. Layman. de cap. 2. num. 3.
- 8 Malitia hujus peccati in eo consistit, quod qui temere iudicat, non habet tria requisita ad iudicandum necessaria, videlicet *Authoritatem*, *Scientiam*, & *ordinem rectum iudicii*. Primo: nemo potest assumere partes iudicis, nisi à Principe deputetur, & ei Jurisdictio, & autoritas committatur. Porro ad iudicandas actiones proximi quis dedit privatis hominibus autoritatem? Par in parem non habet imperium cap. Innotuit 20. s. *Quamvis in fin. de Elect.* Unde Apostolus. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?* Rom. 14. Nam scriptum est. *Quiste constituit iudicem super nos?* Exod. 2. 14. Et, *Ne queras iniquitatem in domo iusti.* Prov. 24. 15. Imò, ut supra notavimus, hoc expresse est prohibitum: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Matth. 7. Spectat enim ad solum Deum: Qui autem iudicat me, Dominus est. 1. Cor. 4. 4. Et Job. 13. 8. *Numquid pro Deo iudicare nitimini?* Secundo deficit Scientia, tum ex parte iudicantis, in quo est intellectus obscurus, & propensio animi ad malum; & ut plurimum quilibet iudicat talem esse proximum, qualem cognoscit esse seipsum. Sed & in vita stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat. Eccles. 10. 3. Cain homicida iudicabat tales alios esse futuros: *Omnis, qui viderit me, occidit me.* Gen. 4. 14. Totila Rex Gothorum, asseverans Vino, cum vidisset S. Cassium Episcopum Narnensem rubram faciem à natura habentem, iudicavit eum ebriosum. S. Gregorius lib. 6. Dialog. cap. 3. Lutherus lapsus in carnis vitia scripsit, esse impossibile contineri. Saul malus male iudicabat de David. At Jonathas bonus bene de eo sentiebat. 1. Reg. 20. 32. Prudens artifex cogitat de ligno pulchram statuat facere. Carbonarius putat ex eodem ligno in ignem projecto colligere carbones. Tum ex parte illius, qui iudicatur, scientia deficit, nam occultissimæ sunt intentiones humanæ, à quibus diriguntur actiones.
- 12 Præsumptum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Jer. 17. 9. Soli Deo reservatum est. Ego Dominus scrutans cor. Et ideo neque Ecclesia iudicat de occultis, cap. Erubescant: ubi gloss. in Verb. Secretorum dist. 32. Et qui vult iudicare facta proximi sui, is In similitudinem Arioli, & Conjectoris, aestimat quod ignorat. Prov. 23. 7. Phariseus iudicavit Mariam Magdalenam esse peccatricem, & nihilominus erat purissima, quia lacrymis tersebat maculas animæ suæ, & splendebat tanquam lucidissima stella; imò facta erat Vesper refulgens comitatura Solem Iustitiæ in occasum super Calvario, & in Sepulturam; atque eundem resurgentem tanquam Bosphorus fidelis debebat præcurrere ejus resurrectionem, Apostolis nunciando, Apostolorum Apostola; à qua ipsi intellexerunt, Redemptorem à mortuis resurrexisse. Terrio deficit rectus ordo iudicii; nam qui temere iudicat, & proximum condemnat sine probationibus, & sine defensionibus. Ipse Deus, cui omnia sunt manifesta, audito clamore iniquitatum Civitatis Pentapoli, ait: *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverim.* Gen. 18. 21. ad

hoc subdit S. Gregor. Mor. lib. 19. cap. 14. Ut 14 nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quam probare. Alexander audita quadam accusatione contra absentem, manu cooperuit auriculam suam dicens, hanc reservo audituram defensionem accusati. Plutarchus in Alex. In morbis acutis non est faciendæ prædictio, cum de facili humores sedem mutant. Hippocrates lib. 2. Aphor. 19. Sic in moralibus pluries ab initio iudicamus actionem malam, quæ paulo post deprehenditur bona. Hinc, *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Jo. 7. 24. Igitur malitia summa est iudicare, & condemnare proximum sine probationibus, & sine defensionibus, nam Juris Regula est, ut etiam in dubio accusatus absolvatur.

Obviandum igitur iudiciis temerariis, & suadendas plebes, ut omnino ab eis abstineant triplici ratione.

Prima est, quia iniuria afficitur tota Trias Sanctissima ab eo, qui temere iudicat. Siquidem, Deus Pater, etiam Dominus, & Origo omnis authoritatis, sapientiæ, & iustitiæ, abstinere à iudicio: nam Pater non iudicat quemquam: Sed omne iudicium dedit Filio; ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Joan. 5. 22. Igitur offenditur tum Pater, tum Filius, qui constitutus est *Judex vivorum, & mortuorum*; est enim Sapientia infinita, quæ in iudicando errare non potest. Si iudico ego, iudicium meum verum est. Joan. 7. 16. Offenditur & Spiritus Sanctus, qui est vera Charitas; nam Charitas non cogitat malum. 1. Cor. 13. 5. Et ideo ipse iudicabit temere iudicantes: *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Joan. 16. 8. Etenim subdit S. August. de Ser. Dom. in Monte lib. 2. cap. 6. *Iudicandi temeritas nulli plus nocet, quam ipsi iudici.* Abstinentium igitur à quocunque iudicio, cum ad Deum, Supremum Dominum spectet iudicare servos. Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Rom. 14. 4.

Secunda Ratio est, quia ut plurimum iudicia hominum sunt falsa; & humanus intellectus extrinsecus videns non penetrat intrinsecam actionum substantiam, neque intentionem Agentis; & sic decipitur, fallitur, & peccat mortaliter peccato iudicii temerarii. In Scriptura Sacra plura sunt exempla. Heli Sacerdos iudicat Annam temulentam vino, & tamen erat orans in afflictione. 1. Reg. 1. 14. Melitenenses iudicant Paulum, quem vipera momorderat, hominem impium, & tamen erat Apostolus Vas electionis, Act. 28. 4. Phariseus in templo iudicat, esse peccatorem Publicanum, qui ex humilitate longe stans percutiebat pectus suum. Luc. 18. 11. De iudicio ejusdem contra Mariam Magdalenam diximus supra. Sed confirmantur auditores exemplis Historialibus.

S. Vitalis Abbas Septuagenarius cum diu penitentem vitam in deserto fecisset, ex Dei particulari motivo venit Alexandriam, ut publicas meretrices à peccatis retraheret. Cum iisdem loquebatur, conversabatur, & morabatur, pecuniam dans, ne peccarent; ac in earum domibus pernoctans orationi vacabat. Accusatur apud S. Joannem Eleemosynarium Episcopum, qui certus de Sanctitate Vitalii, & de sua recta intentione, ac operatione, permisit, eundem domos Meretricum frequentare, ut retuli supra decis. 101. num. 5. Juvenis quidam temere iudicans de eodem, cum Vitalium obvium haberet, objurgavit de hypocrisi, de scandalo, de Incontinentia, & alapa per-

cussit. Patienter *S. Vitalis* tulit: sed illum advertit, hac de causa esse citò in faciem percutiendum publice. Sic evenit: nam stantem eundem Juvenem in foro Diabolus in forma *Aethiopis* sic graviter alapa percussit, ut caderet in terram, & de iudicio temerario poenam sentiret. Cucurrit populus, & ab ipso Juvene causa percussione intellecta, properant ad domum meretricum, ut *S. Vitalis* reperiant, sed eodem instanti ipsum exspirasse animam, genuflexum, & manibus ad coelum elevatis conspexerunt: cujus puritatem, continentiam, & continuam orationem Mulieres illae contestatae sunt. In *Vita Patr. lib. 1.* En igitur obligatio abstinendi à iudicio, ne temere contra veritatem iudicemus.

18 *Lopez Mendoza* Nobilis adolescens Civitatis Compluti, dum sibi *S. Ignatius* eleemosynam peteret, temere iudicans eum hypocritam, ait, faxit Deus, ut ego igne comburam, nisi hic impius sit homo, dignus, ut comburatur. Patienter tulit Sanctus responsum. Eadem die notificatur ortus Philippi Secundi Regis Hispaniarum, & Cives ex gaudio præparant ignes festivos. *Lopez* dives, & hilaris ascendit turrim, ex ea ignitos ludos plebi demonstraturus, cum magna pulveris tormentarii copia, in quam casualiter favilla incidit, & incendit eam, atque *Lopem* ipsum, igne combustum, vita in momento, inictu oculi privavit. *Daniel Bartolus in Vita S. Ignatii lib. 1. pag. 142. mihi.* O fallacia iudicia hominum! O quam periculosum, secundum faciem iudicare.

19 Nobilis Venetus Renerius Zenus, Senator facundissimus, & Divi Marci Procurator, fuerat à Republica destinatus Orator Extraordinarius ad Caesarem, anno 1630. qui quendam Religiosum Ordinis Minorum *S. Francisci*, moribus, & virtute eximium, sibi benevolum, tanquam Theologum, comitem in itinere voluit. Ad suam mentem illum tenebat, & post cenam Orator cum illo diu confabulabatur, & usque dum somnus silentium daret; quare per frequenter Pater Theologus, tota familia dormiente, ibat dormitum. Quadam nocte, intra Germaniae fines, Oratore, & ejus aulicis Pandochium ingressis, domus Magister ostendit Patri Theologo cubiculum, in quo dormiret. Post cenam ita prolixus fuit Orator in familiari colloquio, ut eo soluto, Pater Theologus neminem à familia vigilantem repererit, & absque lumine coactus fuerit thalamum petere, & vestibus exutus, somno, ac itineris labore oppressus in lectulum assignatum decumbere. Audivit alium in eodem lectulo esse dormientem, sed putavit esse unum de familia ejusdem Oratoris Veneti, & sibi consocium; quare & ipse profunde dormivit usque ad lucem. Facto mane, socius ille à lecto exivit, fenestram aperuit, & coepit se vestire. Theologus expergetus, & intuitus vestientem socium vidit non socium, sed esse feminam hospitii dominam, quae pariter intuita Theologum (quem maritum suum crediderat) mutuo horrore, atque errore, Theologus, & mulier correpti, hac à thalamo fugere, ille pariter assumptis sollicitè vestibus inde abire festinavit; veritus, ne à quopiam in illo thalamo cum muliere deprehensus, crederetur Adulter, & Sacrilegus. En accidentia humana? Religiosus innocens innocenter dormivit cum muliere pariter dormivit cum muliere pariter innocente. Si quis eosdem in lecto comperisset, deperditos, ac impios conclamasset. Hunc successum narravit mihi ipse Theologus,

cum jam esset Episcopus ab Alexandro Septimo creatus, ob pietatem animi, vitaeque innocentiam, & eminentiam scientiae Anno 1672. & ex eo didici, nunquam esse in malam partem iudicandas actiones proximorum, quamvis exterius videantur pravae.

Annectenda hic sunt, quae scribit Menochius in *20 Storis Centur. 2. cap. 2.* de Ludovico Sfortia, Duce Mediolani, qui in corde suo sprexit fratrem Thomam de Vio, postea Cardinalem Cajetanum, cujus statura, & aspectus satis deformis erat, etsi ingenium sublime; & de Philippomene Duce egregio Achæorum, quem, ut refert Plutarchus, accedentem absque militibus ad hospitium, ubi erat opipare excipiendus, domus Magistra credit quemdam famulum, ob pusillitatem corporis, & illum apposuit, ut ligna scinderet; quod cum alacri animo ageret, hospiti suo supervenienti, obstupenti, ait, poenitentiam ago pusillae staturae meae. Est igitur à iudiciis temerariis abstinendum, nam sicut ibidem ex Seneca concludit Menochius: *Potest ex casa Vir magnus exire: potest ex humili, deformique corpuscule formosus animus, ac magnus: nam Virtus omni loco nascitur.*

Tertia ratio abstinendi à iudiciis temerariis est, 21 quia facillime transiunt in detractones, & ex eis proveniunt rixae, infamiae, & homicidia, atque convertuntur in damna temporalia iudicantis, nec non in animae perditionem; sic Divina Iustitia permittente, ut qui proximum suum bona opinionione, ac fama spoliavit, temere iudicando, spoliatur & ipse fama, bonis, ac salute aeterna. Irmentrude Uxor Isemberti Comitissae d'Altorfii Helvetiae temere iudicans pauperem mulierem, quae unico partu tres pueros effuderat, post annum peperit duodecim filios nimia sui ipsius confusione. Menochius in *Storis Centur. 2. cap. 9.* Hinc notetur sententia illa *S. Dorothei serm. 22. 6. Nil magis avertatur, & abominatur Deus, quam proximum iudicare: ea ratione, quia Unus est Legislator, & Iudex, qui potest perdere, & liberare: tu autem quis es, qui iudicas proximum? Jac. 4. 13.*

Pulchra est monitio, quam dabat *S. Ignatius 23 Loiolane* iudicando temere quis peccaret. Videlicet, ut excusamus *Actionem*. Si haec mala omnino videatur, excusamus *Intentionem*; esse enim potest, ut qui male egit, crediderit bonum opus agere. Quod si constaret de perverfa etiam intentione, excusamus *Tentationem*; compatiendo proximum nimis tentatum à Damone, cui nos ipsi resistere non potuissimus, si sic acriter fuissimus tentati.

Tandem hortandi fideles, ut alios temere non 24 iudicent, sed potius semetipsos considerent, & videant quantas imperfectiones interius, exteriusque committant. Vacent sibi. Mala relata non credant. Et illud continuò habeant in mente: si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur. 1. Cor. 11. 13.

Habeant Parochi, & animarum Pastores ex 25 empla à Vitis Sanctorum decerpta, quibus ostendant suis plebibus, à Deo semper fuisse punitos temere iudicantes.

Legant *Ephemerides Sacras*, idest *Vitas Sanctorum 26* noviter typis datas per Rev. D. Hieronymum à Basilicapetri Nobilem Mediolanensem, olim Eminentissimi Nostri Antistitis ab Aula familiare, & nunc ex devotione Presbyterum Congregationis Oratorii Neapolis, collectas de menle in mensum, & de die in diem, traductasque ex antiquis pro-

probatissimis Authoribus. In illis, *Mense Januarii die 18.* habetur Vita S. Deicoli Abbatis Lutrensis, cujus tanta erat Sanctitas, ut accedenti ad oratorium Sancti Martini, de ratione cujusdam militis *Veisarii*, ostium ferreis pef-fulis, atque clavibus obferatum, miraculosè aperiretur, ubi ingrediebatur S. Deicolus, & Orationi vacabat. Parochus illius Villæ, & custos clavium, cum id intellexisset, & obser- vasset, judicavit, ope Dæmonis id agere; & idem rustica plebs arbitrata spinas permultas ostio Sa- celli anteposuit, ut oraturus Sanctus accedens ipsis configeretur. Sed spinis ad ejus adventum recedentibus, notitia data est *Veisario* militi, Ecclesiolæ Patrono, qui eundem Sanctum ju- dicavit Necromantem, & maleficum, jussitque illum comprehendi, & castrari. Vix expedie- rat injustum decretum, cum dolore nimio *Veisarius* correptus in genitalibus, fuit ab uxore monitus, de injustitia decreti; sed *Veisarius* in falso suo judicio residens, præ dolore obivit.

Prima die Martii in Vita S. Rodefindi Episcopi Dumienfis in Gallia habetur, qualiter huic 27 Sancto visitanti Sanctam Senorinam Abbatissam, eidem sanguine conjunctam, ab eadem flos donatus fuit, dum simul alloquerentur: quod cum duo fabri murorum vidissent, judicaverunt temerè, suspicati inter eosdem Sanctos aliquem subsistere inordinatum affectum. At id cogi- tantes è tecto domus ceciderunt, & in terram collisi expirarunt; quos tamen S. Rodefendus, pro eis orans, revocavit ad vitam; & deinde suum judicium temerarium prodidere. His dicenda erant Verba Sancti Augustini *tract. 90. in Joan.* *Quamquam & in his rerum tenebris hu- manarum, idest cogitationum alienarum suspensiones vitare non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, idest definitivas, firmasque sententias continere debemus, neque ante tempus judicare, donec veniat Dominus, ut illuminet abscondita tenebrarum.* Plures habentur Casus in Historia Miscella- nea Sacra P. Menochii *par. 1. 2. & 3. in Verb. judicio temerario*, quos legisse non pigebit Ani- marum Pastores.

DECISIO CLV.

ARGUMENTUM.

Continet hæc Decisio: 1. Quid sit Detractio? & Quot modis fiat? 2. Quæ sunt præcipuæ Quæstiones in materia Detractionis non ignorandæ à Confessariis? 3. Quot, & qui- bus noceat Detractio? 4. Quando, & Quo- modo sit restituenda Fama; & alia damna ex Detractione sequuta? 5. Quanta sit ma- litia Detractionis? 6. Quibus remediis tan- to crimini obviandum?

SUMMARIIUM.

1. Contumelia quid sit? & quot modis fiat?
2. Detractionis definitio, & ejusdem explicatio.
3. Detractio tripliciter committitur.
4. Detractio quando sit mortale peccatum?
5. Infamare seipsum an liceat?
6. Falsum crimen fateri an liceat ad evitanda tormenta?
7. Peccatum publicum in uno loco, an possit in alio publicari?
8. Detractorem audiens, an teneatur restituere famam?

9. Infamatus injustè, an possit condonare restitu- tionem suæ famæ?
10. Fama an possit compensari cum pecunia?
11. Cause ostio excusantes a restitutione famæ.
12. Detractio nocet tribus personis simul.
13. Detractor confiteri debet etiam finem, quem habuit detrahendo.
14. Detractores difficilè sunt absolute digne.
15. Casus curiosus detractoris confessuri coram uno, deinde alio famoso Theologo, & ab utro- que rejecti.
16. Fama quando sit à detractore restituenda?
17. Et quomodo sit facienda restitutio?
18. Restitutio famæ quomodo fiat, ob crimen ve- rum, sed occultum?
19. Detractionis quanta sit malitia, & gravitas?
20. Ursini Monachi detractoris punitio.
21. Detractores pauci salvantur.
22. Remedia sexdecim ad extirpandum detractio- nis vitium.
23. B. Egidii, & B. Jordani dicta de detra- ctoribus.
24. Prioris Abbatis lepidum factum circa detra- ctiones.
25. S. Arnulphi Episcopi detractores graviter pu- niti.
26. Accusator iniquus famuli Sanctæ Elisabeth Regine Portugaliæ gravissimè à Deo punitus.

Quò ad Primum. Dixere; Duobus modis 1. offendi alterius famam, & honorem; vel in ejus præsentia per Contumeliam: vel in ejus absentia per Detractionem. Contumelia est actus injuriosus, quo publicè, & ut plurimum in præsentia obicitur alicui crimen, vel defectus, ad diminuendam ejus famam, & honorem. Et multipliciter fieri potest, nempe convici- ando, impropinando, susurrando, irridendo, deridendo, & subsannando per varios motus corporis, de quibus S. Thomas 2. 2. *quæst. 74. & 75.* Aliquando fit contumelia etiam con- tra absentem, dum libellis famosis offenditur, 2 seu litteris, vel verbis injuriosis ad eum missis. At Detractio est injusta lesio, seu denigratio aliene famæ per occulta Verba, cum intentione nocendi. Dicitur *injusta lesio*, quia si crimen proximi ma- nifestetur Superiori ex motivo justitiæ, seu charitatis, non est detractio; neque dum re- quiritur ab aliquo Superiore consilium, seu in- formatio pro conferendo officio, seu beneficio, pro recipiendo Novitio, vel Novitia in Religione; vel si agatur de ineundo Matrimonio, aut de impediendo aliquo gravi malo, puta si famulus sit fur, si accu- satus sit innocens, si medicus sit im- peritus? tunc enim qui scit defectus, & re- velat, minimè peccat; dummodò secretè faciat; atque ex motivo charitatis, & cum Superiore, seu alia persona prudenti. Excepto tamen si sciret in Confessione Sacramentali, quia ob reverentiam Sacramenti, nunquam licet uti hac scientia pro quovis malo impediendo. Dicitur per *occulta Verba*; quæ triplici modo possunt proferri. Vel falsum crimen aliì imponen- do, vel verum crimen augendo. Vel occultum ma- nifestando; & in unoquoque ex his modis com- mittitur detractio. Dicitur *Cum intentione no- cendi*. Quod accidit dupliciter. Primario, quando quis ad hunc finem detrahit, ut no- ceat famæ alterius. Secundario, cum quis lo- qui-